Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Cunctes autem inuenerunt sicut dixit illis: et parauerunt pascha. Et cum fa-
cta esset hora discubuit: et duodecim apostoli cum eo. Et ait illis. Desiderio
desideraui hoc pascha manducare uobiscum: antequam patiar. Dico enim
uobis: quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno dei. Et acce-
pto calice: gratias egit et dixit. Accipite: et diuidite inter uos. Dico
enim uobis: quod non bibam de genimine uitis donec regnum dei ueniat. Et
accepto pane gratias egit et fregit: et dedit eis dicens. Hoc est corpus
meum quod pro uobis datur: hoc facite in mea commemoratione. Similiter
et calicem: postquam cenauit dicens. Hic est calix nouum testamentum in san-
guine meo: qui pro uobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me
mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est uadit: uerum
tamen ue homini illi per quem tradetur. Et ipsi ceperunt querere inter se: quis
esset ex eis qui hoc facturus esset. Facta est autem et contencio inter eos: quis eorum ui-
deretur esse maior. Dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum: et qui po-
testatem habent super eos benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior
est in uobis fiat sicut iunior: et qui precessor est sicut ministrator. Nam quis maior
est: qui recubit an qui ministrat: nonne qui recubit: Ego autem in medio uestrum sum
sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in temptacionibus
meis. Et ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum: ut edatis
et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos iudi-
cantes duodecim tribus israel. Ait autem dominus. Symon. Symon: ecce satha-
nas expetiuit uos: ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogauit pro te
ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui
dixit ei. Domine: tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Et ille dixit.
Dico tibi petre: non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse
me. Et dixit eis. Quando misi uos sine sacculo et pera et calceamentis:
numquid aliquid defuit uobis: At illi dixerunt. Nichil. Dixit ergo eis. Sed
nunc qui habet sacculum: tollat similiter et peram. Et qui non habet: uendat
tunicam suam et emat gladium. Dico enim uobis: quia adhuc hoc quod scriptum
est oportet impleri in me: et cum iniquis deputatus est. Et enim ea que de
me sunt finem habent. At illi dixerunt. Domine: ecce gladii duo hic. At

(radet?)